



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Quæstio 2. An licitum sit occidere latronem, re valoris accepta fugientem,
quando aliter recuperari non potest?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

re injuriam, vel calumniam inferri, ad eundem medio tollendum aggressuros, non sine maximo Reipublice detrimento: facile enim credent, aliud ipsis effugium non manere, præter mortem accusatoris, vel testis, vel judicis. Unde infinitis homicidiis patebit aditus.

11. Non inficior, hoc fundamentum parvi penitus à M. Bannez, idè què responder, hæc incommoda non provenire ex ipsa doctrina, sed ex malitia litigantium, qui non prudenter examinabunt circumstantias, in quibus licitum est, falsum accusatorem, vel testem occidere. Verum cum nemo, in propria causa, bonus sit iudex, opinandi aditus omnino præcludi debet, & idè præfatam sententiam practicè improbabilem pronuntiare debemus, propter absurdam, & inconvenientiam, quæ illam sequuntur. Adde, nec speculativè probabilem esse, quia ut Genè ait Cardin. de Lugo tom. 1. de iust. disp. 10. sect. 10. nu. 189. ad probabilitatem etiam speculativam rei moralis oportet, quòd materia sit talis, ut in circumstantiis humanis non afferat inconvenientiam, quæ eam reddant illicitam.

12. Quapropter omnino displicet Illustris, D.D. Joannes de Caramuel in Theolog. Fundament. edita Franco-Furti, anno 1652. fundam. 51, §. 11. num. 172. fol. mihi 491. ubi aliam versans quæstionem, sic ait: Porro hæc doctrinam, si reducat ad praxim, esse perniciosam, non nego. At non solùm probabilissimæ opiniones, sed & demonstratæ, & certissimæ sunt interdum nocivæ: quod alibi demonstrare me memini. Sapè enim veritatem utiliter ignorare contingit: Sic. bi. Et iterum de re nostra in terminis, fundament. 53, §. 6. num. 1150. Hinc est, quod ego iudicem, summa inconvenientia sequi ex multis opinionibus, quæ hodiè circumferuntur, nec tamen idè illas improbabiles esse. Multa enim suboriuntur ex restrictionibus mentalibus: multa ex occultis compensationibus: multa ex licentia occidendi injustum iudicem, aut testem, quam nonnulli concedunt: multa ex aliis, quibus tamen non obstantibus inconvenientibus, illæ sententiæ in terminis, quibus hodiè in scholis traduntur, sunt ut minimum probabilissimæ, & à nemine damnari possunt. Hæc Caramuel. Quod proflus falsum ex istimo, quia à posteriori, practica opinionis improbabilitas innotescit, nec in re ad mores pertinente, admitti debet, ut probabile principium, ex quo absurda, contra bonos mores, illationes sequantur.

23. Concludendum igitur est, tanquam omnino certum, præfatam doctrinam nullum habere posse locum, ob inconvenientiam gravissimam, quæ ex illius praxi pullulare possunt. Quapropter novissimè Sanctissimus Alexand. VII. die 24. Septembris, anno 1665. inter alias propositiones, hæc ut scandalosam ut minime damnavit: Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. Et illam docere, defendere, aut edere, & de ea etiam disputare publicè, aut privatim tractare, nisi forsitan impugnando, sub pœna excommunicationis ipsò facto incurrenda, & Summo Pontifici reservata prohibet, & insuper distictè in virtute sanctæ obedientiæ, ne ad praxim aliquis eam deducat.

14. Unde probabilitas saltem practica præfatæ opinionis tot Doctorum armata phalange, funditus corrumpit, sicut fundamentum Caramuelis, & aliorum, quos inconvenientia non terrent, ut probabilitatem practicam aliis opinionibus ejuldem furfuris non denegent.

Q V Æ S T I O II.

An licitum sit, occidere latronem, & valoris accepta fugientem, quando aliter recuperari non potest.

1. **N**egant nonnulli, quos sequitur Barcola ex Ordine Predicatorum, in opere contra Amadeum Guinentium infra citandum, imò nullum pro contraria militat Thomiam, confidenter asserit. Sed miror hominis auctorem, vel potius dicam, librorum inopiam: quia affirmativa sententia adeo communis est, ut ferè omnes eam dedant. Sylvester verb. Excomm. 6. quæst. 9. lib. 1. non me invadit, & tamen rem meam tenere cupi, nisi occidam, puta, quia fugit in equo meo, quæ aliter habere nequeo, nisi illum sagitta occiderem, &c. dici posset, in hoc casu, non esse contra legem Dei, aut naturæ illum occidere. Quæ quædiè de licentia Principis moventur arma pro temporalibus, quod fieri non posset, si esset contra legem Dei, aut naturæ. Et antea verb. Bellum. 2. quæst. 1. in fine. * Si vis inferre rebus, injuria debet repelli in contenti, id est, quam primum quis poterit, licet inanimata, quia non est vindicta, sed defensio quædam, quando dicatur in contenti? Hoc casu Gladius cap. significasti 2. de Homicidio, dicit, quòd debet esse, quam citius poterit. Joannes Andreas, & alii stentis dicunt hoc verum, ut licitum sit resistere armis ad recuperationem invase rei, si hoc ante quam ad alia divertatur, aliis esse quædam vindicta, Bartolus verò sentire videtur, quòd fieri debet intra tres dies. Sed melius dicitur, quæ est quam primum poterit, non divertendo ad alia, relinquendo arbitrio boni, rerum qualitate periculis. * Hactenus Sylvester, quem eisdem transcripsi verbis, ex verb. Excomm. 6. quæst. 9. superius adductis sequitur M. Dominicus Baitanus in Margaria D. fessor fol. mihi 82.

2. M. Sotus de iust. lib. 3. quæst. 1. art. 8. lib. 1. Refertur circa dubium, licere furem etiam diutius defensioem bonorum temporalium interire, aliter illa eripi ab ipso nequeunt. Et ratio est, quia bona mea media sunt ad vitæ sustentationem, status, atque honorem. Quapropter, si vitæ sustentamentum est omnium bonorum, ita est, & corporis, &c. De tempore autem defensionis, quando resistere fortè dubitas: nempe utrum tunc tantum resistere, quamdiu fur rem non arripuit, an etiam tunc dum tuis rebus onustus fugit, licet cum armis insequi, est aliter deprehendi negotium iam facto telo sternere? Respondetur, toto tempore flagrantis dicti licere vim vi repellere, et dum fugit.

3. M. Ludovicus Lopez p. instr. cap. 62. n. 1. rapinam, si illum raptorem non amittit à compo suo, quia adhuc invenitur cum furto, ut ajuat, &c. tunc secundum Mercatum potest vi rebus, & in defensionem suorum bonorum passus ire, & in defensionem occidere, si aliter deprehendi non potest, potest raptorem occidere, si aliter deprehendi non potest, manibus nequeat prædam arripere.

4. Mag. Corradus i. p. Resp. quæst. 75. * Quæsi- verò ad res, si per viam iustitiae recuperari non possunt, omnes conveniunt in eam sententiam, ut

ceat percutere, & occidere. Sylvester, Cajetanus, D. Thomas, Sorus. Et hoc intelligendum, ut ibidem notat Sorus, si bona illa sint aliquanti pretii, &c. idque solum fieri licet in flagranti crimine, & etiam dum fur fugit, sed post fugam si aliquo se recepit, non licet eum vi aggredi, sed tenere, quousque iudex eum capiat.*

5. Mag. Zanardus 1. p. ubi de Homicidio, cap. 2. §. Nono, ibi: *Nono dico, licere pro rebus suis defendendis, & recuperandis alterum occidere, &c. Hoc idem licebit facere cum fure diurno, quando primò res furata sit alicujus momenti. Secundò, quando ille, à quo subtrahita sunt res, dubius est, vel certus probabiliter, quod res suas aliter non recuperabit, nisi persequendo furem, & occidendo eum, si vellet res furivas defendere.*

6. M. Paulus de Blanchis in Discept. casuum consensient in lit. H. ubi de Homicidio, casu 5. dub. 1. §. Ad secundam impugnationem, fol. 431. * Non excusamus oppressum, quando potest repellere vim, quam patitur à rapitore, vel fure, capiendi ipsum, vel quousque alio modo recuperando sua bona, si occidit. Hæc de causa dicitur Exodi 22. Si quis occiderit furem diurnum, reus erit homicidii: quando scilicet, illum capere potuit absque occasione: quando autem non potest defendere vitam suam, vel res suas absque occisione, tunc occisor non est reus homicidii, & hoc est, quod intendimus in casu nostro.*

7. M. Joannes de la Cruz in Sum. 5. præcept. art. 1. de Homicidio, dub. 6. Conclusio affirmativa: itaque fugientem cum equo tuo, aut rebus aliquanti pretii, quæ aliter certo non recuperabis, licet sagitta confodere. Ita Sylvester, Sorus, Bannez, & Cajetanus, & communiter cum D. Thoma 2. 2. quæst. 46. art. 7. & patet Exod. 22.*

8. Reverendiss. PP. Magistros supra citatos sequuntur communiter Doctores. Villalobos tom. 2. tract. 12. diff. 11. * Si es licito matar al ladron, quando no se puede defender por otra via la hacienda? Respondo, que si siendo cum moderamine inculpate tutele. Alii lo tiene Cayetano, Aragon, Bannez, Lefima, y es comunissima. Y dize Bannez, que consienten en ellos los Philosophos, y casi todos los Theologos, &c. Por la misma razon tambien es licito perseguir al ladron, para que dexa lo que lleva hurtado, y quando no huviese otro medio, matarle por ello. Y tambien, quando no se puede recuperar por otro camino, porque si se pudiese librar por justicia, no seria la muerte inculpable.*

9. Diana p. 5. tract. 4. resol. 17. postquam negativam sententiam retulit, sic ait: * Verum contrariam sententiam tenent communiter Doctores. Et ita docet Tannerus, qui citat Sylvestrum, Navarrum, Sorum, Valentiam, Aragonium, Bannez, & Lefium. Quibus ego addo Turrianum, Marchantium, Baldellum, Layman, Binsfeldium, Molinam, Azorium, & Filiucium, &c. contra Covarruv. esse licitum occidere, vel sagitta, vel catapultam furem, si cum re furata fugiat; quia invasio rei durat, donec se in tutum recipiat, ubi quietè possidere incipiat. Et quia nisi id licitum esset, defensio rerum maxima ex parte esset inutilis: possent enim fures quodlibet rapere, & statim fuga se proripere: in fuga enim, secundum opinionem Covarruv. essent tuti. Ita Doctores citati.* Hæc Diana ubi supra, & iterum p. 8. tract. 7. Miscellan. resol. 47. cum Card. de Lugo testante, hanc esse communem Doctorem opinionem disput. 10. de iust. sect. 9. n. 179. Quibus consentit

Leander à Sacram. tom. 5. de irreg. disp. 13. quæst. 7.*

Quia adhuc fure fugiente, inquit, invasio censetur adhuc durare. Sic tenent communiter Doctores, Molina, Sylvester, Sorus, Navarra, Lessius, Diana, Rodriguez, Reginaldus, Dicastillo, Lugo. Imò potiori jure occidi posse in iustum invasorem facultatum, quam honris, multis ostendere conatur R. Franciscus Bonæ Spei Carmelita reformatus in lib. cui titulus, Nactina Belgica ad Aquilam, dub. 20. num. 634. Quia bona fortunæ per se ordinata sunt ad vitam conservandam; idè qui illa aggreditur, in casu, quo facile recuperari non possunt, nisi injustus aggressor occidatur, censetur possessoris vitam aggredi; & proinde contra illum agi potest, tanquam contra vitæ aggressorem, &c. Sic ille, ex illo principio, quod concesso uno, censetur concessa ea omnia, sine quibus non pervenitur ad ipsum, l. ff. de iurisd. omni. judic. l. ad rem mobilè, §. Quis procurat. §. de procurat. cap. præterea de officio delegati, & cap. ex his, §. Porro de verb. signifi. quod verissimum esse ratio naturalis demonstrat, quando media sunt unice necessaria.

10. En amice lector, opinio illa, quam in Lessio de iust. lib. 2. cap. 9. dub. 11. & in Escobario in Theol. Moral. tract. 1. exam. 7. cap. 3. nescio quis censura notavit, communis est apud Theologos. Quapropter jure optimo Sturbokus in illum, & sequaces animadvertens, in suis in quondam notas, ad Epist. 14. fol. 108. sic scripsit: * Omnes communiter censent, si paucos excipias, posse quemlibet defendere facultates suas, vel Patris, vel heri, etiam cum morte furis, si aliter servari, aut recuperari non possunt, & res notabilis momenti id postulet, Cajetanus, Sorus, Navarrus, Molina, Lessius, Vazq. D. Antoninus, Sylvester, Medina, &c. Vix ullum auctorem invenio ex innumeris ferè, qui de hoc argumento scripserunt, cujus calculo hæc sententia non doneatur.*

11. Addit M. Sorus ubi supra, hanc doctrinam locum habere, licet res ablata per judicem recuperari possit, non tamen facile. Verba ejus sunt: * Jurisconsulti inferunt, quod dum spes est, vii iudicis recuperandi furtum, non licet furem occidere. Et certè si spes esset certissima, quod facillimo negotio recuperari posset, verum apparet, ubi autem res esset dubia, posset liberum esse domino jure uti suo.*

12. Docent etiam alii, licitum esse occidere furem, quoties res, eo non occiso, custodiri non potest, etiam si postea recuperari possit. Ita Henricus Stroverdeff, apud Dianam p. 5. tract. 4. resol. 17. & ante illum Eminent. Cajetanus, & Sylvester, ut refert M. Joannes Martinez de Prado tom. 2. Theolog. Moral. cap. 20. quæst. 4. num. 7. Quos sequitur Trullench cap. 4. dub. 6. num. 6. Quorum ratio est, quia fur magnam mihi infert contumeliam, dum res meas, me præsentem, capit, ac proinde vim vi repellere licet. Sic Doctores citati. Quibus consentiunt alii, quos novissimè refert, & sequitur Hieronymus de Molina & Guzman in novis veritatibus juris, veris. 37. num. 20.

13. Addunt non pauci, licitam aliquandò esse bonorum recuperationem, vi adhibita, non solum quando fur, eis acceptis, fugit, sed etiam postea, quando jam res in tuto est posita. Sic tradit M. Corradus 1. p. Respons. quæst. 75. ibi: * Ultimò dicitur, quod si quis rem meam subripit, in continenti possum per vim eam eripere. Si autem statim non fiat, tunc per judicem recuperari debet: Alioquin (artende)

tende) si non potest, per judicem recuperari, ego dominus, in defectu judicis, eam violententer recuperare possum, non lucente diabolo, sed iustitia tantum. Ita ait ibidem Sylvester. * Hæc M. Contradus.

14. Idem sentiunt alii, quos citatos sequitur Leander à Sacram. tom. 5. de Irregular. disputat. 13. quest. 8. ubi inquirens: * An etiam licet possit quis occidere furem, qui rem furatam habet positam in certo loco? * Respondet. * Negabit Covarruv. cui favere videntur S. Antoninus, Petrus de Navarra, & alii, &c. Sed probabilius respondeo, etiam posse licet, & absque metu irregularitatis talem furem occidere, casu (ad minus) quo invasus furem insequens in continenti illum occidat, si rem furatam non velit tradere, & nullo alio medio recuperari possit, quia tunc adhuc actus invasionis mortaliter durat. Sic Fagundez, Sylvester, Joannes à Lignano, & alii. * Et inferius quest. 9. inquit, posse quem ingredi domum, ubi rem furto captam in pacifica possessione fur retinet, & illum occidere, si resistat eam tradere eidem domino: * Dummodo, inquit, & remedium illi non suppetat recuperandi rem propriam per vires juridicas, & eadem res furata in individuo exte apud furem, ut eadem torques, idem pallium. Ratio est, quia in hoc casu dominus rei non est aggressor, sed defensor rei propriæ, ob quam recuperandam licitum est illi, inferre vim violentam. * Sic Leander, cui consentiunt Malderus 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 13. §. Dico sexto. Diana p. 5. tract. 4. resol. 37. & plures doctissimi apud illos, quorum sententiam probabilem putat Bonacina disp. 2. de Rest. quest. ultim. sect. 1. p. 10. & tuerunt alii apud Eminent. Card. de Lugotom. 1. de Inst. disp. 10. sect. 9. num. 181.

15. Denique doctrinam traditam de occisione furis, revaloris acceptæ, fugientis, extendunt D. Antoninus, & Cajetanus, quos citatos sequitur Lessius suprâ ad Clericos, & Religiosos. Quibus cum Maldero, & Sylvio consentit Diana p. 5. tract. 4. resol. 16. & cum Soto, Petro de Navarra, Barbosa, & aliis tenet Leander à Sacram. tom. 5. disp. 13. q. 3. & 4. subnectens. * Sic tenent ferè omnes Doctores pro nostris sententiis adducti. * Qui pro defensione rerum suarum idem putant licere Clericis & Religiosis, quod laicis.

16. Et ante illos docuit, M. Victoria in Relect. de jure Belli, n. 4. ubi sic: * Etiam si jure naturali non liceret occidere pro defensione rerum, videretur, quod jure civili factum sit licitum. Et hoc, reverà, seculis scandalo, videretur licere, non solum laico, sed etiam Clerico, & Religioso viro. * Verum si jure naturali id non liceret, non video, quomodo jus civile posset licitum reddere Clericis. Melius ergo suadet ex D. Antonino asserente, omnibus concessam esse defensionem rerum, quibus concessa est defensio vitæ. Quam omnibus, naturæ jure concessam, dicit Cajetanus de potestate Papa, cap. 17. & scribere non recusavit: * Quod quilibet licet possit occidere invasorem se defendendo. * Cui consentit M. Victoria illius verba referens in Relect. 1. de Potest. Ecclesia ad finem, & Sylvester verb. Bellum 2. §. 2. Verum horum doctrinam non laudo, & bene eam limitavit Fagundez in quinque præcepta Ecclesia, lib. 5. cap. 3. n. 6. & 7. dicens: non procedere, quando Principes, seu Domini sunt tam utiles bono communi Republicæ, ut secundum prudentiam, & charitatis regulas, videatur teneri unusquisque potius injuriam sui occisionem pati, quam invadentem se injuriam, jure perimere.

17. Hæc scripsisse sufficiat, in præfatum communis & veræ sententiæ asserentis contrarium, cum facultatum notabilis momenti, quando dicitur occideri non possunt. Quod insuper probatur ex cap. 6. de sententia excommunicationis ubi, ubi etiam pro defensione rerum temporalium dicitur esse licitum, vim vi repellere, quando alter defendere non possunt. Et sanè latissima latrocinia aperte videntur, si bona propria defendere non liceat, etiam cum morte tentantis auferre: nec jus ad vitam periclitaretur, si ad media ad illam nobis necessaria deducere. Ideo hæc opinio prorsus tenenda est, quam non solum Doctores suprâ citati, sed Divus Augustinus, & D. Thomas propugnant, ut testatur Eminent. Cajetanus in Sum. verb. Homicidium, ubi ait. * Licet iterum occidere, tuendo necessaria ad vitam, & salutem, ne perdat res suas, & suorum, * & 2. 2. q. 64. artic. 7. §. Ad hoc dubium, inquit. * Est sententia D. Thomæ, & Augustini: quia Augustinus ubi citatur loquitur non solum de vita corporali, sed de honoribus, quæ inviti perdere possumus, sed quo occidendo non honores, & divitias.

18. Quæ si animadvertit Vincentius Buzotius in opere contra Amadeum Guzmanium disputat. 1. fol. 148. artic. 1. §. 4. fol. 148. scribere non audeat, sedatur ut principium apud D. Thomam, & ejus omnes discipulos in concussum jactare) occisionem hominis, ob solus vitæ defensionem, licitam esse. Respondemus (inquit) rationem nos docere, illi auctoritate publicâ, homicidium licitum per se esse: à privata potestate nunquam (sed ad hominem nos illud pati, ut accidentario junctum vitæ defensionem, * & expressius fol. 149. Mortem, inquit, aggressoris * pati & ferre possunt, non ligere; ut ad junctam inculpate torquæ labori, non honoris. * Quod nil à veritate magis alienum: honorem enim & divitias cum morte aggressore defendere possumus, ut constat ex dictis; & ex communis Thomistarum sententia. Vide quæ addimus sup. tract. 3. disput. 3. cap. 6. num. 5. & folio 217. & 218.

QVÆSTIO III.

An Proscriptum, seu Bannitum à Pontifice, aut ab alio Principe, liceat ubique occidere?

1. **U**Num supponimus, & aliud disputamus. Supponimus cum communi sententia, Principem posse concedere facultatem hominem cuiusque ad aliquem scelus, tum hominem occidendum, propter damnum Republicæ imminens, quod aliter vitari non potest: Hæc verò opinio, ut bene notat Molina tom. 4. disput. 7. num. 1. missio, ut bene notat Molina tom. 4. disput. 7. num. 1. si ex gravissima causa concedenda non est, nisi ex gravissima causa, aut alius similis periculis nocentissimus graffator, aut alius similis periculosissimus Republicæ, qui facile comprehensio non possit. Sic nonnumquam concedi solet facultas occidendi Bannitos, aliosve sceleratos, proposita etiam premio occisori, qui auctoritate publicâ executor sententiæ mortis constituitur. Difficilis ergo est: an bannitum, seu sceleratum hominem, quem occidendi facultas cuius à Pontifice conceditur, liceat ubique occidere?